

„Faciendam primo loco post alias de praecepto.“

Atque ita respondit die 20. Aprilis 1822. n. 4587 ad 8.

NOTA GARDELLINI AD HOC DECRETUM:

Dubium hoc declaratione non indiget. Si commemoratio Missae de Dominica, in qua Festum occurrit dupl. 1. vel 2. cl., non conjungitur cum Oratione Festi, sed legitur separatim secundo loco, quatenus erit potior ratio, ut sub unica conclusione legi illa debeat pro sponso et sponsa simplex commemoratio? Si Missa Nuptiarum privata est, nullamque habet solemnitatem, haud dici potest in diebus vetitis locum cedere Missae diei, ut est de Missa solemniter pro Oratione Quadragesima Horarum, quae dicenda foret de SSmo Sacramento, quaeque Pontificis jussu Missae diei conjungitur, dum ob occursum solemniorum duplicium nequit celebrari? Imo, si occurrant plures commemorationes, uti accidit potissimum, dum celebranda est Missa de Dominica, illa Nuptiarum primum dumtaxat locum obtinere poterit post alias a rubrica praeceptas et sic reliquas praestare, si quae sint a Superiore imperatae.

II. Commemoratio, Dies, Missa.

Vd.: *Nuptiae; Matrimon.*; Missale (Correctio, decr. XVII. et F. n. 48.).

In die, quo occurrit Officium alicujus Sancti dupl. non de praecepto, dici posse juxta rubricas missam de sponso et sponsa. n. 2327 die 20. Junii 1665.

In celebratione nuptiarum, quae fit extra diem dominicum vel alium diem festum de praecepto, seu in quo occurrat dupl. 1. vel 2. cl., etiamsi fiat Officium et missa de festo dupl. per annum sive majori sive minori, dicendam esse missam pro Sponsis; in diebus vero dominicis aliisque diebus

festis de praecepto ac dupl. 1. et 2. cl. dicendam esse missam de festo cum commemoratione missae pro Sponsis. n. 4415 die 20. Dec. 1783. (*Decret. gen.*)

In quodam Rituali Dioecetano legitur haec rubrica: dicit Missam de nuptiis, ut habetur in Missali Romano, nisi eo die fuerit Officium duplex ex solemnioribus, hoc est primae aut secundae class., quia tunc Missa dicitur de Festo cum commemoratione Nuptiarum, additis Orationibus: *Propitarii* et: *Deus, qui potestate* cum caeteris ad nuptias pertinentibus. In Missa pro Sponso et Sponsa, quamquam votiva sit, dici debet: *Gloria in excelsis Deo*, sed non dicitur *Credo**) et in ea dicitur una tantum Oratio, nisi sit Dominica, quia tunc fit commemoratio de ea. Dubium ergo est: an haec Ritualis dispositio quoad dies, in quibus dici potest, corrigi debeat juxta Rubricas Missalis Romani et juxta Decretum generale S. R. C. 20. Decembris 1783 confirmatum atque praeceptum ubique servari a SSmo D. Pio VI. die 7. Januarii 1784.

S. eadem R. C. respondit:

„Servetur Rubrica Missalis et recens Decretum a S. R. C. die 20. Decbr. 1783 emanatum et a S. M. Pio VI. confirmatum.“

Et ita declaravit ac servari mandavit. n. 4491 ad 10 die 12. Martii 1804.

Cum nunnula excitata fuerint dubia circa rubricam in hac celebranda missa servandam et parochorum sensus sit varius, quippe quia aliqui eidem missae *hymnum angel.* adjiciendum censent, cum *Ite missa* etc., alii vero etiam *Credo* legendum putant, ea freti ratione, quod haec missa sol. et pro re gravi haberi debeat, — S. C. declaravit atque decrevit, quod firma rema-

*) Cf.: *Missa vot. de Sancto* (gl., cr. decr. n. 4560 nota.).

nente dispositione praefati decreti de 20. Decbr. 1783 (vd.: supra n. 4415) quoad designationem dierum, in quibus missa vot. pro Sponsis celebrari potest, eandem esse votivam *privatam* proindeque semper legendam *sine gloria et credo*, cum tribus orationibus, prima videlicet ejusdem missae votivae propria, ut habetur in fine missalis, 2. et 3. diei currentis ut in rubr. titul. VII. n. 3. de Commemorat., *Benedic. Dom.* in fine et *ultimo Evangelio s. Joannis*. n. 4544 die (3. Mart.) 28. Feb. 1818.

NOTA GARDELLINI AD HOC DECRETUM:

Missa pro Sponso et Sponsa, dum hanc celebrari licet, Votivis adnumerari certum est. Ad harum quippe classem refertur in Missarum Codice: quamobrem ritus servandi sunt a Rubricis pro Votivarum celebratione praescripti, etiamsi legatur vel ex declaratione Rubricae vel ex speciali indulto in diebus quoque ritus dupl. per annum maj. vel min., servata forma *Decreti generalis 20. Dec. 1783*, quia ritus Officii diei non mutat naturam Missae votivae, quae ab illo omnino differt. Mirum hinc est, quod non omnes aequae Parochi, hanc celebrantes Missam, unum eundemque ritum tenere consueverint. Aliqui sunt, qui *hymnum Angelicum* addi debere arbitrantur, alii vero eo usque deveniunt, ut etiam *Symbolum* vel semper addendum assenserant, rati quod praefata Missa censenda sit pro re gravi, vel si juxta Rubricas in Missa Officio diei respondente legendum foret, quasi Missa votiva, quid commune haberet cum Officio occurrente. Haec opinionum divisio praesenti Decreto causam dedit. Certum porro est Nuptiarum Missam non esse pro re gravi, quae publicum Ecclesiae aut Communitatis bonum utilitatemque respiciat, non cum cantu celebrari,

non ullam habere extrinsecam solemnitatem, quae conditiones sunt, quibus concurrentibus vel *Gloria* vel *Credo* vel utrumque addi debent, prout diversa Missae qualitas exigit, sed est Missa privata sine cantu, sine solemnitate et pro uno privatorum hominum nubentium bono. Pluribus possem id demonstrare sed in re satis clara frustra tempus tererem. Una sufficiat *Rubrica*. Nedum in Missali votivis adnumeratur Missa pro Sponso et Sponsa: idcirco obtinet generalis regula: *In ipsis non dicitur Gloria in excelsis, nec Credo, nisi pro publica Ecclesiae causa*. Verum etiam in ea singula, quae servanda sunt, speciatim distincteque notantur; praesertim vero in fine haec habentur: *Dicto Benedicamus Domino, vel si Missa illius diei conveniat, Ite Missa est* (videlicet, si juxta rubricas et praefatum Decretum celebrata sit Missa de Dominica aut Festo occurrente) *Sacerdos antequam Populo benedicat, conversus ad Sponsum et Sponsam dicat etc.* Igitur si in hac Missa (dum Votiva dicitur, non autem de Dominica aut Festo occurrente) omittitur *Ite Missa est* et ex rubricae praescripto dici debeat *Benedicamus Domino*, palam fit, nec *hymnum Angelicum* in ea sibi locum posse vindicare. Quoad *Symbolum*, praeterquamquod nulla ratio sit, cur in Missa votiva lecta sine solemnitate et ad publicum Ecclesiae vel Communitatis bonum utilitatemque non ordinata dici possit, illud sufficit, quod, quando recitandum est, speciatim in Missali notatur; sed id certe non legitur in Missa pro Sponso et Sponsa. Addam recentissimum Decretum ab hac S. C. editum die 13. Martii 1804.

Director Calendarii Clericorum Regularium Minorum Villae Matriten. quaerebat: Num sequendus esset Ordo cujusdam Calendarii Dioecetani jubentis in Missa votiva pro Sponso et Sponsa *hymnum Angelicum et unicam*

3. Quando praedictae Orationes non sunt recitatae in Missa Nuptiarum, debentne recitari extra Missam elapso tempore prohibito?

Emi et Rmi P. Sacris tuendis Ritibus praepositi . . . respondendum censuerunt: „Serventur Rubricae Missalis ac Generalia memorata Decreta, quibus edicitur, ut, quoniam temporibus ab Ecclesia vetitis locum habere nequit sollemnis benedictio Nuptiarum, illa pariter inhibetur commemoratio pro Sponso et Sponsa in Missa occurrente, neque Orationes resumptae extra Missam tempore prohibito jam elapso.“

Atque ita rescripserunt, declararunt ac servandum omnino mandarunt die 31. Aug. 1839 n. 4868.

Dum in suo generali Decreto pridie Cal. Mart. anno 1818. S. R. C. edixit, ut Missae votivae privatae pro Sponso et Sponsa legantur sine *Gloria* et *Credo*, cum tribus Orationibus, *Benedicamus Domino* et Evangelio S. Joannis in fine: Rmus Eysteten Episc. S. eidem C. exposuit, in Bavaria et praesertim in Paroeciis Pagorum hujusmodi Missas plerumque celebrari cum cantu, quamvis unicus sit Sacerdos, quas quidem Missas cum cantu in praesentiarum prohibere difficile admodum arbitratur. Quibus positis sequens exhibuit Dubium, nimirum: An Missae pro Sponso et Sponsa, quando celebratur cum cantu, addi queat Hymnus Angelicus cum Symbolo Nicaeno? Et S. ipsa C. in Ordinariis Comitibus ad Quirinale sub-signata die coadunata, re mature perpensa, ad relationem infrascripti Secretarii respondendum censuit: „Negative ad Dubium; in Paroeciis vero, ubi unus tantum Sacerdos, Dominicis Festisque diebus Missae occurrenti addatur commemoratio pro Sponso et Sponsa in casu.“

Atque ita servari mandavit, n. 4869 die 31. Aug. 1839.

Ad dubium: An in Missa pro Sponso et Sponsa dicenda *diebus Rogationum* earundem commemoratio facienda sit?

Et Sacra eadem Congregatio sub infrascripta die ad Quirinale in Ordinario Coetu coadunata, referente infrascripto Secretario, respondendum censuit:

„Affirmative juxta generalia Decreta die 20. Decembris 1783 et 3. Martii 1818.“

Atque ita declaravit die 28. Julii 1832. n. 4691 ad 4.

1. Sacerdotem non teneri missam applicare pro sponsis, nisi ab iisdem eleemosynam accipiat;

2. hanc missam post contractum coram paroco matrimonium de ejus licentia posse ab alio sacerdote celebrari;

3. in eadem missa plures posse sponso benedici. S. C. Inq. 1. Sept. 1841.

In die Commem. Omn. fid. def. legi potest missa pro Sponsis, non vero alia votiva.

S. C. R. 7. Sept. 1850.

Non licet sponso benedicere in Missa pro def., sed potius transf. est benedictio in aliam diem. S. C. Inq. 1. Sept. 1841.

v) Substituine potest alia missa pro votiva?

Vd.: *Missa vot.* (cantata.)

Ad dubium: Si prohibentur, an debeant pro votivis substitui missae de festo? An haec in cantu? S. C. resp.: Affirmative. S. R. C. Die 22. Decb. 1753 ad 7 n. 4237.

w) Vetita.

Vd.: *Missa prohibita*; *Missa de req. priv.* in dupl. (decr. Romana.)

89) „Vultum tuum.“

Ad dubium: an post Septuages. in missa pro virgine *Vultum tuum* dicto V. post Graduale repeti nihilominus debeat in Tractu vel prosequi: Quia concupivit? S. C. resp.: In casu proposito V. *Audi filia* non esse repetendum. n. 4526 ad 24 die 7. Sept. 1816.

Mechlinien.

Modernus Typographus Archiepiscopus Mechlinien., quum praevio Emi D. Card. Archiep. permissu aggredietur novam Missalis Rom. editionem, volensque ut in illa nihil occurrat, quod aliquo modo S. R. C. Decretis adversetur, eidem humillime supplicavit declarari: utrum juxta Decretum in Tuden. die 7. Sept. 1816 ad Dubium 14. in Missa de Comuni Virg., cujus Introitus: *Vultum tuum*: ejusque in Tractu quando dicitur post Septuag. ad Pascha integer v. *Audi filia*: sit omittendus, utpote jam recitatus in Graduali, an incipiendus a seq. verbis: *Quia concupivit*: in eodem non dictis. Et S. eadem C. ad Quirinales Aedes infrascripta die Ordinariis in Comitibus coadunata ad relationem subscripti Secretarii, omnibus rite matureque examinatis rescribendum censuit: „Juxta recensitum Decretum v. in casu esse omittendum.“

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 4936 die 11. Sept. 1841.

Vd.: Missale (Correctio, E. n. 46.).

MISSALE ROMANUM.

1) Aperitio.

In missis privat. permitti non potest Ministro aperire Missale et invenire missam. n. 4526 ad 11 die 7. Sept. 1816. *Instr. Cl.* §. XXX. n. 25, 26.

2) Approbatio.

Vd.: *Libri ecclesiast.*; *Officium Roman.*, et:

Pii PP. Quinti et Clem. VIII.

Brevia in principio Missalis apposita.

*Clericorum Regularium
Congregationis Somaschae.*

Etsi Gen. Decreto de Anno 1834 IV. Kal. Maji S. R. C. certas statuerit leges quoad Breviaria, Missalia, Officia parva B. M. V., Officia Hebdomadae maj. aliaque hujus generis, quae ab anno praesertim 1788 ac deinceps praelo fuerunt commissa, quin praeseferant Ordinariorum Attestationes, quae declaretur in cusione servatas fuisse regulas in Bullis Summorum Pont. Rom. S. Pii V., Clementis VIII. et Urbani VIII. indicatas et in suo robore plenissime perseverantes, atque insimul commendatum maxime fuerit iisdem Rmis Locorum Ordinariis, ut in posterum pro suo munere invigilarent, ut Bullae ipsae ac subsequencia Decreta omnino servarentur in hujusmodi Librorum cusione, attamen pro parte Rmi P. Procuratoris Gen. Clericorum Reg. Cong. Somaschae duo haec Dubia pro opportuna solutione exhibita fuere eidem S. R. C., nimirum:

1. An liceat uti Breviariis, Missalibus aliisque hujus generis S. Libris, qui non praeseferunt requisitas a Pontificiis Constitutionibus Ordinariorum attestations, perinde ac si per praescriptionem in contrarium memoratae Constitutiones censi debeant non amplius in suo robore permanentes?

2. An enunciatis Breviariis, Missalibus aliisque hujus generis Libris licite quis uti possit, si Ordinarii Locorum praevia revisione a se instituta declarent eosdem plene concordare cum aliis Romae cusis et de more revisis et adprobatis?

Et S. eadem C. ad Vaticanum hodierna die coadunata in Ordinario Coetu,

Orationem etc.? et responsum fuit: *Servetur Rubrica Missalis et recens Decretum a S. R. C. die 20. Decb. 1783 emanatum et a S. M. Pio VI. confirmatum.* Atque ex Rubricarum lege *hymnus Angelicus* Missis votivis lectis addi non debet, nec dimittendus Populus cum v.: *Ite, Missa est*, cujus loco Sacerdos ad Altare conversus dicit: *Benedicamus Domino*; plane consequitur S. C. respondendo: *Servetur Rubrica Missalis*: ne *hymnus Angelicus* legatur in votiva Nuptiarum Missa clare decrevisse, addendo vero: in reliquis servandam esse formam *Decreti generalis anni 1783*, declarasse, eandem Missam legi posse in duplicibus per annum, sive maj., sive min., sed per hujusmodi declarationem, aut, si vis, privilegium, non mutatur natura Missae votivae privatae, quae proinde exigenda est ad Rubricarum praescriptum, quemadmodum jubet prima pars responsionis: *Servetur Rubrica Missalis*.

In hac autem Missa votiva praeter Orationem propriam ejusdem Missae faciendae est commemoratio de eo, de quo factum est Officium cum tertia Oratione ad formam Rubricarum. Praefatio vero de Missa diei, si habeatur propria, sin minus, communis, ultimum Evangelium semper S. Joannis. Vide Guyetum in Hortologio lib. 4. cap. 21. quaest. 12. et 14.

Quotiescunque occurrit Officium dupl. per annum, non potest dici missa pro Sponsis; est enim missa votiva, quae prohibetur in diebus dupl. a rub. gen. miss. n. 4., sed debet celebrari missa conformis Officio cum com. pro Sponsis et si mulier est vidua non solum debet omitti benedictio Nuptiarum sed etiam missa pro Sponsis. n. 4299 ad 3 et 4 die 3. Mart. 1761.

Cum per Decretum Generale S. hujus C. die 20. Dec. 1783 dies designentur, quibus Missa pro sponso et sponsa etiam diebus excludentibus duplicia per

annum, ideoque etiam infra Octavam Epiphaniae, in Vigilia Pentecosten et infra Octavam privilegiatam SSmi Corporis Christi: alii vero putant his etiam diebus eandem Missam vetitam; idcirco idem Parochus petiit declarari:

An hujusmodi Missa dici possit diebus duplicia excludentibus, ut supra notatis?

Et S. R. C. ... respondendum censuit ut infra, videlicet:

„Negative quoad Octavam Epiphaniae, Vigiliam Pentecosten et Octavam privilegiatam SSmi Corporis Christi, quatenus privilegium concessum sit ad instar Octavae Epiphaniae.“

Atque ita respondit die 20. Aprilis 1822. n. 4587 ad 5.

NOTA GARDELLINI AD HOC DECRETUM:

Binis Decretis Generalibus S. hujus C. certae datae sunt regulae quoad Missam celebrandam pro sponso et sponsa. In primo vel declaratum vel indultum sancitumque est: *In celebratione nuptiarum, quae fit extra diem Dominicum vel alium diem Festum de praecepto, seu in quo occurrat dupl. 1. vel 2. cl., etiamsi fiat Officium et Missa de Festo dupl. per annum, sive majori sive minori, dicendam esse Missam pro sponso et sponsa in fine Missalis post alias Missas votivas specialiter assignatam, in diebus vero Dominicis aliisque diebus Festis de praecepto ac duplicibus 1. et 2. cl., dicendam esse Missam de Festo cum commemoratione Missae pro sponso et sponsa: Ita die 20. Decb. 1783, in altero vero diei 3. Mart. 1818 declaratum fuit: Missam pro sponso et sponsa (dum servata forma primi Decreti celebrari licet) esse votivam privatam, proindeque semper legendam esse sine hymno angelico et Symbolo, cum tribus Orationibus, 1. videlicet ejusdem Missae votivae propriae,*

ut habetur in fine Missalis, 2. et 3. diei currentis, ut in Rubrica tit. 7. num. 3. de commemorat., Benedicamus Domino in fine et ultimo Evangelio S. Joannis. Hisce Decretis compositae quaestiones omnes videbantur: secus tamen accidit; nam nova excitata sunt dubia. Quippe nonnulli sunt, qui opinantur Missam hanc dici posse etiam diebus, qui excludunt duplicia per annum, praesertim vero infra Octavam Epiphaniae, in vigilia Pentecosten et infra Octavam privilegiatam SSmi Corporis Christi. In hac autem opinione versantur, quia in primo illo Decreto dies isti expressim et nominatim non excipiuntur. Ast hi errant quammaxime. Non enim declaratione indigebat id, quod sub generali prohibitione, utpote a Rubricis jam vetitum continebatur. Jubet Decretum, ne Missa nuptiarum celebretur in duplicibus 1. vel 2. cl., sed vult, ut in hujusmodi occursum solam obtineat commemorationem: ergo includit in regula etiam dies, in quibus per easdem Rubricas fieri nequit Festum dupl. 2. cl., vel occurrens vel translatum. Si in Octava Epiphaniae duplicia isthaec non admittuntur, potiori jure nec Missa votiva privata, non obstante Indultu, admitti poterit, utpote quae in occursum hujusmodi duplicium celebranda non est. Octavae namque eo modo privilegiatae, etsi quoad ritum, semiduplicem tantum obtineant, quoad exclusionem tamen occurrentium quorumcumque dupl. (si excipiantur occurrens 1. cl. in Octava Epiphaniae), qualitatem nihilominus habent aequalis vel superioris ritus. Quomobrem Indultum celebrandi Missam privatam nuptiarum in dupl. maj. aut min. per annum non festivis extendi nullo modo potest ad infra Octavam Epiphaniae et Vigiliam Pentecosten. Quoad Octavam vero privilegiatam SSmi Corporis Christi discrimine est opus. Vel enim indultum est, ut haec Octava,

ad instar illius Epiphaniae, omnia rejiciat Festa dupl., praeter illa 1. cl. occurrentia, et in hoc casu ob paritatem rationis respuere etiam debet votivam nuptiarum, quae ex indulgentia permittitur in solis dupl., quae festiva non sint, vel dupl. 1. vel 2. cl. Quodsi privilegium sistit in exclusione dumtaxat duplicium, quae non sint 1. vel 2. cl. occurr. vel transl., neque hoc in casu impedimentum ponit, quominus Missa Nuptiarum queat celebrari. Eoque magis poterit, si Octava Corporis Christi nullo ex duobus hisce modis privilegiata sit. Nam etsi vigore Decreti S. R. C., Pontificis auctoritate roborati, infra Octavam SSmi Corporis Christi Missae votivae quaecumque vel pro defunctis celebrandae non sint (vide Decretum generale diei 24. Junii 1670), excipienda tamen est illa Nuptiarum, vigore specialis Indulti, quo sicuti permissum est, ut celebrari possit in duplicibus per annum non festivis etiam rit. maj., in quibus ex Rubricis prohibentur Missae votivae privatae, ita etiam poterit in diebus infra Octavam Corporis Christi, qui admittunt quaecumque dupl. occurrentia. Sed quaelibet cessat dubitandi ratio, postquam S. R. C. proposito dubio respondit: *Negative quoad Octavam Epiphaniae, Vigiliam Pentecosten et Octavam privilegiatam SSmi Corporis Christi, quatenus privilegium concessum sit instar Octavae Epiphaniae.*

Ad dubium: 1. Quando Nuptiae celebrantur tempore Adventus vel Quadragesimae, debetne fieri commemoratio Missae pro Sponso et Sponsa per Collectam, Secretam et Postcommunem?

2. Licetne recitare supra Sponsos preces seu Orationes in Missali positas post Orationem Dominicam et *Ite Missa est?*